

aliàs tanta fit soliditas ac firmitas, ut malleorum ictûs medio-
cres facilè sustineant.

Phæn. VII. VII. Estque dissilitio ista cum tanto impetu conjun-
cta, ut manum tenentis is sensibiliter feriat, & in aère libero
aut supra chartam pulverem illum vitreum longè lateque
disjiciat: De quo pulvere vitreo id notatu dignum occurrit,
Phæn. VIII. quòd, etsi particulæ ipsius & nudo visui & armato oculo an-
gulosæ & irregulares valdè manifestò compareant, tactum
tamen non lædant, ut aliàs contusum vitrum solet, sed à di-
gitis eas prensantibus, terentibus & comprimantibus impunè
tractentur.

Phæn. IX. VIII. Non est autem prætereunda nec illa circum-
stantia, quam ab aliis notatam ipsi quoque comperimus haut
semel: E longioribus & sub extrema valdè tenuibus gutta-
rum caudis, unam & alteram portionem, circa C v. g. Num.
I. posse abrumpi, nullà insequente reliqui corporis fracturâ;
quæ tum demum consequitur, ubi propiùs versus B in spisse-
scence tantillum pedunculo ruptura prima tentata fuerit:
Phæn. X. Quemadmodum etiam vermiculi tenuiores non statim se-
cundùm totam suam longitudinem, uti spissiores, sed aliquo-
usque solùm rumpuntur, iteratis adeò conatibus demum toti
comminuendi.

Phæn. XI. IX. Tentatum & illud à nobis est, & compertum ve-
rissimum, quòd in igne deperdant lachrymæ illam virtutem
suam dissultoriam. Cùm enim unam earum prunis canden-
tibus superimposuissemus & horæ quadrantem minimum
(dum interim aliud capiebamus experimentum) ibidem re-
liquissemus, exemptæ postea caudam pluribus locis diffrin-
gere & particulatim adimere licebat, reliquo corpore inte-
rim salvo manente atque integro: Sicut & vermiculos cras-
siores ad candelæ flammam in diversis partibus F, G, H, Num.
2 calefactos, ita ad usus diversos disposuimus, ut refracto
postmodum apice extremo F, pulverisatio vermis haut lon-
giùs quàm ad G usque se porrigeret, altero que ictu circa G in-
flato